

PHILARETIS EPI-
STOLA

Ad

CENTVMVIROS
ROSTOCHIENSES

de vindicanda nece


Optimi juvenis

JOANNIS MARQVARDI Rigenfis.

Qui à no-
spe
ita meritis erat, nefarie & sceleratè trucidatus.

Adjecta

QVERELA STUDIOCORVM IN
Academia Rostochienfi & c.



RIGÆ

cl. l. XIV.

99
B. 99.

*Antiquarium in Leipzig
1808
Biblioth. in Riga im Jahr 1808
1. Feb. 22. 1808.*

Inscr. No. 62348.

verò civis primarii Rigensis filio, tanta spei, tanta elegantia, à vilissimis hominibus ad fœdam mortē absq̃ ulla causa compulsò, non tam solliciti sunt vestri patres conscripti, quam si consulis scropha vulnere violata esset. Nec dubitamus haud mediocriter indignaturos plerosq̃, cum scient è nostro numero repertos esse, qui hoc facinus iniquo animo ferre audeant, quasi aliis latrocinium committere liceret, nobis de latrocinio conqueri non liceret. Multò minus cum latronibus nocturnis jure experiri. Caligula equitem Romanum objectum feris, cum se innocentem proclamasset, reduxit, abscissaq̃ lingua rursus induxit. Est Deo gratia Caligulam esse mortuum, aut si sexcenti adhuc vivant Caligula, Imperatores tamen non esse: qui leges dare debeant modò non accipere: quibus invitis nec vitam nec fortunas cuiquam liceat habere. Dicamus igitur libere in libera Republica, scapham esse scapham, & à latronibus occisum esse Marquardum, qui latrocinio nocturno periit, & judices latronibus nihilo meliores esse, si latrocinium non vindicent, pejores verò si flagitium approbent; imò vero Assasini reos. Quidni enim Assasini reos dicemus, si publica mercede homines nefarios conduxerint, ut immerentes juvenes ad mortem verberibus contendant? Eventus judicii, judicis animum

in

in apricū proferet. Nos ad id temporis judiciū nostrum suspendemus. Interim non omninò abs re facere videbamus, si indignam commilitonis nostri mortē lugentes justissimā indignationem, hac tabella consignaremus, à vobis ornatissimi præstantissimiq̃ cives summa ope contendentes ne justissimā causam vestra ope destituatis, sed opera consilio et auctoritate, quantū potest, juris & justitiæ remediū procuretis. Agitur hic non Marquardi vita, quæ per scelus ablata est, nò Academia Rostochiensis Salus, quæ penè per vim extincta est; sed urbis hujus decus et civiū honos, qui eruto Academia oculo constare non potest. Fama est de rebus levioribus vos tribunos plebis pertinaciter certare, hæc causa & ope et constantia et ad vocatione vestra dignissima est. Lacedæmonios imitamini si sapitis, qui hostilem etiā Athenarum urbem post præliū ad Ægos, Potamos de victam negabant se deleturos, ne dextrū Græciæ oculum viderentur effodere. Cogitate vos quoq̃ urbis annulū amissā Academia gemma vilescere. Academia urbem civibus eruditis, ut laboriosa mater ornavit, consulesq̃ ipsos ac senatores disciplinis literisq̃ instruxit, ut jam suo jure ab illis humanitatē repetat, quibus impertivit. Verum ut ut inter vos et Academiā conveniat, nos, nos inquā studiosi iram vestrā deprecamur, nobis in fontibz

A3

igno-

ignoscite, quorum delictum hoc unicum & extremum, quod studiorum gratia convenire Rostochium, vitæq; & patrimonii partem consumere consuescamus, & quod non raro posthabita patria nostra, sedem fortunarum omnium apud vos hic figamus, urbemq; civibus, Remq; publicam opibus pro virili parte augeamus. Recenseat qui volet, nec paucissima, nec vilissima hujus civitatis membra, ex hominibus alienigenis & advenis inveniet. Quid quod vicatim ac per domos distributi, liberos vestros summa fide & industria usq; à primis elementis instituamus? Hac nimirum sunt illa scelera, propter quæ verberibus ad nos omnes mulctari nos oporteat, propter quæ, publice & private, parati estis, ut rumor est, ~~per totam urbem~~ de re & funditus delere.

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis, Si quadringentos quingentosve juvenes, bonarum artium vestriq; studiosos, intra mœnia vestra per dolum inermes nec opinantes jugularetis. Hoc verò esset virtutis vestræ gloriosissimū trophæum, perennis illo, quod Athenienses ad fretum Salaminium debellato Xerxe crexerunt, vel eo quod DI immortales in campis Phlegreis gigantibus occisis posuerunt. Præmonete saltem, ni grave est, ut prius nos in mare pacificum

cificum recipiamus, quam intumescat hic ira vestræ Oceanus ~~ωκεανός~~. Qua tamen in re à nobis læsi, tanto fluctuatis minarum astu, viri Rostochienses? Meminitne qui vestrū natu maximo est, civium aliquem nocturno vulnere, aut mutilatum à studiosis, aut interfectum? Meminitne ab annis sexaginta domum aliquam silente nocte à nobis violatam, aut fenestram fractam? Unicus Castritius in nostro ordine inde usq; ab Academia infantia fur inventus est, quem vos honorificè in corvorum ventribus sepelistis. Ille crucem propter furta commeritus est, ceteri propter ~~iniquitatem~~ merentur: nisi forte inexpiabile scelus ~~habere~~ debeat, quod post scyphos exhilarati per urbem ~~fidem~~ voce latitiam significent. Unica enim vitulatio præsentem attulit Marquardo perniciē. Scilicet vultis nos in juventute aut senes fieri, aut à vigilibus vestris interfici. Quod si vobis omnibus ea lege vivendum fuisset, nemo vestrum ad caniciem pervenisset. Forte singuli ante Marquardi ætatem, vel eodem, vel pejore fato, interiissent. Quod vobis vestrisq; liberis fieri non vultis, id officiosè à vobis petimus ne patiamini Marquardo fieri. Si Argentorati vel alibi Consul Scharfenburgii filium (quod Deus omen avertat) hoc urbano latrocinio impune

pune jugulari contingeret, funestam & crudelem terram clamaretis, barbarum illius loci magistratum, qui talia scelera impunita dimitteret: forsan latrocinii auctorem, qui latrones non vindicando probare videretur. Id suspicari fas est non nos nec urbem Rigensem solum, sed vicinas omnes Rom. Imperii provincias, ad quas hujus ac similium facinorum fama delata est, vobiscum expostulare, forte etiam atrocius aliquid de hac urbe statuere, quanto certior est et penè Europa notior Senatus & Academia antipathia. Liceat credere quod in jure civili scriptum est, falsum non esse, quod per alium facis per te ipsum fecisse videris, præsertim si cum possis malefactum non vindices. Liceat provincia Megapolensi & vicinis, ubi Senatus in Academiam affectus nimium notus est, id dicere quod in proclivi est, Rostochii pro vigiliis, nocturna Assassinia disponi. Quo enim alio nomine flagitium hoc vocetur, ni vindicetur. Liceat denique veritatem, quanquam odium pariat, palam proloqui, non vivere studiosos tutius in foro Rostochiensi, quam in sylva Luneburgensi. Vigilate igitur ornatiss. ac præstatiss. cives, & date operam ne vestra virtutis fama apud vicinos & remotos laboret, ne quid Respublica detrimenti ex infamia capiat. Impium est & ridiculum vos à Deo in publicis

blicis Ecclesia precibus postulare, ut vestros liberos in alienis Academiis incolumes conseruet, vestra urbs per ministros publicos alienos liberos fœdè trucidet. Nisi forte vestrorum tantum liberorum curam agere debere superos existimetis, ceterorum animas negligere, quia

Vos gallinæ albæ filii,

Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.

Quid quod Respublica intersit, si quidquam aliud, latrocinia, quam se verissime puniri, ut homines improbi, supplicii, gravitate, à sceleris atrocitate deterreantur; ut pax publica, qua nihil sua vius, sarta tecta conseruetur, & Senatus vester se quam alienissimum ab hujusmodi flagitiis vindicando, demonstret. Nam ut ait Poeta:

Tu quod te posterius purges, nolle hanc injuriam mihi

Factam esse, hujus non faciam; crede hoc meum jus persequar:

Neque tu verbis solves unquam, quod re mihi male feceris.

Novi ego vestra hæc: nollem factum: dabitur jusjurandum, esse te

Indignum injuria hac, indignis cum ego met sum acceptus modis.

B

Ingen-




*Ingentia crimina expiantur non blanditiis, sed gladiis;
nec quisquam erit tam obesa navis, qui de magistratus
affectu, non possit ex Eventu judicare. Et, ut vel ma-
ximè, à censura humana cavere possit, à Nemese divi-
naca veri non potest. Deus vindex, vindictam negle-
ctam, ab iis reposcet, quibus vindictam commisit. Gla-
dium justitiæ, quem in eorum manus posuit, in eos strin-
get, qui rubigine & situ eum corrumpi passi sunt;
serius, acyus, ut ipsius videbitur omni tuenti Sapien-
tiæ, tarditatem puniendi, gravitate supplicii compen-
saturus. Est Riga civitas, & Respublica, nec ibi
deest Senatus auctoritas, vel populi potestas.*

*Scitote illic, si hic sileant, Mar-
quardi cineres, loqui
posse.*




QVE.



Q V E R E L A


Studiosorum in Academia Rostochiensis.

 *Occidit à rivo cognomine dictus Adolphus,
Occidit Henricus postea Erhardus item.
Et mox Marquardus quoque jungitur hisce Jo-
hannes,*

*Lectorum juvenum gemmaq; flosq; trium.
Tu quoq; de prisca flos arbore Chemnitiorum,
Marchia, heu! quartus jungeris hisce comes!
Quos tres intra annos hic sustulit hasta vel ensis,
Quem quatit indomitâ, latro, homicida, manu.
Heu, quota pars urbis, nostro nō uncta cruore est!
Heu quantum nostri sanguinis illa bibit!
Curia, jam, plateæ, vallum, ipsum adeoq; grapheū
Tot clades nostras vidit & ingenuit.
At vos, ô Rosea, sacer ordo senatus, in urbe,
Qua in scelera hæc Phœbe palluit aspiciens,
Justitiæ gladium dextra armipotente tenentes,
Quem vobis Regum Rex dedit ille Deus,
Vindictam Nemesis, quos poscit & ille profusus
In coelum clamans, heu! cruor innocuus;*

Latro-

Latrones, quibus ad cædē est adeo impigra dextra,
Cur pigra usq; adeo, lentaq; pena manet?
Grassatum satis est, hastis gladiusq; latronum,
Grassetur tandem justiciæ gladius.
Nempe rei quodcunq; nefas impune relinquit
Alterius, iudex, hoc facit omne suum. (hac,
Hoc agite, in fontemq; avertite sanguinem ab urbe
Vindice, non scelera hæc, sunt caritura, Deo.
Hoc agite, aut quod nos, vestra hac toleramus in
Vestri alibi nati hoc experientur, item. (urbe,



841575

LU Akad. bibl.



817001254